

corporis partes; ipsa enim, utpote simplex, nullius augmenti aut imminutionis est capax, sed actionem suam in majores vel minores corporis partes exercet, pro illarum augmento vel imminutione. Ita nec Deus diffunditur per orbem, licet singulis ipsius partibus præsens, nec augetur vel minuitur, augescendo vel imminutâ creaturarum magnitudine.

SECTIO SECUNDA

De animâ humanâ seorsim inspectâ.

De animâ humanâ seorsim inspectâ tria solent inquiri, videlicet 1° ejus natura, 2° ejus origo, 3° ejus immortalitas.

CAPUT I

DE ANIMÆ HUMANÆ NATURA

241. Disputatio de animæ humanæ naturâ gravissimi est momenti, sive illam *in se* consideres, sive *consectaria* illius pensites; ab eâ enim pendet animæ nostræ *origo* necnon *finis*. Porrò ut quæstionem hanc absolvamus, 1° diversos philosophorum errores declarabimus; 2° veram sententiam stabiliemus, ac 3° præcipuis occurremus objectionibus materialistarum.

ARTICULUS I

Recensentur varii errores circa naturam animæ humanæ.

Duplici ratione a philosophis erratum est de animæ naturâ, quum alii ad spiritualitatem ejus non satis attenderint, alii nimis: hinc *materialismi* et *spiritualismi* nimii opposita commenta.

I. — *Materialismi diversæ formæ et diversi fautores.*

242. Materialismus definiri potest *error ille quo anima humana vel corporea dicitur, vel saltem ita corpori alligata, ut sine illo agere et esse haud queat. Si prius, obtinet materialismus rigidus; si posterius, sensismus.*

243. Materialistæ *rigidi* triplici modo suum systema proponunt. — Alii opinantur animam a corpore ipso non discerni, sed in corporis *temperamento* vel *harmonia* consistere. Qui materialismus *physiologicus* nuncupatur; ita inter veteres Dicaearchus, Aristoxenus et Galenus, et inter recentes Hobbes, Collins, d'Holbach, Helvetius, Diderot, la Mettrie, Cabanis, Broussais. — Alii docent animam ipsum esse corpus, quatenus *actuosâ* vi præditum; tenent enim, ex unâ parte, nec materiam esse sine vi aliquâ, nec vim ullam sine materiâ; et, ex aliâ parte, vim istam idoneam esse ad explicanda quæcumque in homine peraguntur phænomena, et ipsammet cogitationem. Qui *recentior* materialismus *dynamicus* dicitur et patronos habet *positivistas*; inter quos in Germaniâ, Moleschott, Buchner, Vogt et Wagner; in Angliâ, Stuart Mill, Bayn et Spencer; in Galliâ autem, Comte, Taine ac Littré. — Alii demum, inter quos Stoici et etiam Epicurus ac Lucretius, volunt animam esse corpus naturæ cujusdam *subtilioris*; quippe cui, præter varia elementa quibus alia corpora constant, *novum* quoddam elementum attribunt « nominis expers, quo neque mobilius quicquam, nec tenuius exstat ».

244. *Sensistæ* admittunt quidem animam hominis esse principium simplex, a corpore distinctum, eam tamen spirituales esse negant, et intrinsecè pendentem a corpore inducunt. Juxta illos, nihil aliud est anima nisi *collectio facultatum ac phænomenorum* quæ in homine cernuntur. Hujus theoriæ antiquior parens fertur Protagoras, cui recens adhaeserunt Condillac, Humius, Volney et de Tracy.

Demum a materialismo non satis recedunt, qui de animæ spiritualitate *dubitant*, quòd non satis propecta sit psychologia ut pronuntiare possit vim cogitandi materiæ haud inesse, vel saltem a Deo infundi non posse; ita Lockius.

II. — *De spiritualismo nimio.*

245. Contrario excessu peccant quidam philosophi qui, posthabitâ omni corporis consideratione, animæ essentiam in ipsâ cogitatione, aut saltem in vi cogitandi reponunt. Priorem sententiam Cartesius, Malebranchius et cartesiani cum ontologistis non paucis tuiti sunt; posteriorem Storchenau, Galuppi et Maine de Biran.

ARTICULUS II

Vera de animæ humanæ naturâ sententia declaratur.

246. *Media* via tenenda est inter opiniones modò expositas; et haberi debet anima ut *simplex, spiritualis ac per se subsistens, licèt incompleta et naturaliter ac substantialiter unita corpori, cujus est forma.*

247. PROP. 1^a: *Anima humana reapse a corpore sibi unito distinguitur.*

Probatur contra materialismum tum physiologicum, tum dynamicum.

1^o *Ex origine principii vitalis*, cùm enim, ex probatis (n. 224) anima ipsa corpori conferat vitam, sensum et motum, planum est eam ab illo realiter distingui.

2^o *Ex identitate animæ.* Quippe cuique nostrum conscientia testatur idem unumque remanere in nobis principium quo sentimus atque intelligimus, tametsi certum sit corporis nostri particulas, pro legibus assimilationis et excretionis, incessanter mutari aliasque aliarum loco succedere.

3^o *Ex imperio animæ in corpus.* Anima, ut eloquenter argumentatur S. Thomas, *regit corpus et repugnat passionibus quæ complexionem sequuntur*; ex complexione enim aliqui sunt magis aliis ad concupiscentias vel iras apti, qui tamen magis ab eis abinent, propter aliquid refrænans, ut patet in *continentibus*. Hoc autem non facit complexio. « Non est igitur anima complexio. » (*Cont. Gent.*, l. 2, c. 63, n. 4).

248. PROP. 2^a: *Anima humana nullius materiæ, quantumvis subtilis, particeps est, sed est omnino simplex.*

Natura cujusque entis ex ejus operationibus agnoscitur; nam operatio sequitur esse, sive promanat ex agentis naturâ. Unde argumentum sequens: Operationes simplices arguunt principium simplex, a quo defluant. Atqui multæ animæ operationes sunt simplices, ut certis argumentis probari potest.

1^o *Ex diversitate sensationum.* Experientiâ teste, diversas oppositasque sensationes *simul* experiri nobis licet; v. g. calorem ac frigus, si aliam manum in calidâ, aliam in frigidâ aquâ immersam habeamus. Porrò id fieri non posset, si principium sensationis ex partibus esset compositum. Nam alia corporis pars calorem, alia frigus tantum experiretur, ac proinde diversæ et oppositæ sensationes in nullo principio communi colligarentur, quod earum conscientiâ simul frueretur easque inter se conferret.

2^o *Ex simplicitate cognitionis.* Nullus cognitionis actus, etiamsi versetur circa res materiales, elici valet ab ente materiali. Vel enim aliqua pars cognitionis objecti esset in aliquâ parte rei extensæ, et altera pars in alterâ parte; vel cognitio tota inveniretur repetita in singulis rei extensæ partibus; vel demum cognitio tota in unicâ rei extensæ parte resideret. Sed nullum ex his tribus dici potest.

Non 1^{um}; cognitio enim nullas habet partes; potest sanè magis vel minùs completa aut distincta esse, non autem in partes majores aut minores, plures aut pauciores dividi. — Præterea, posito quòd partibus constaret, nulla pars illius integrum jam objectum percipere posset et integram elicere cognitionem.

Non 2^{um}; id quippe conscientiae testimonio repugnat, quæ nos docet unius rei *unam* cognitionem in nobis esse, dum in adversâ hypothesi, tot cognitiones diversas unius ejusdemque rei haberemus, quot partes essent in subjecto cognoscente.

Non 3^{um}; siquidem vel hæc pars in quâ tantum residet cognitio supponitur extensa, vel simplex. *Si extensa*, eadem ac suprâ remanent difficultates; *sin simplex*, causam habemus eamque partem dicimus animam.

3^o *Ex naturâ complexâ appetitûs etiam sensitivi*; quippe qui minimè oriri potest a materiali substantiâ. Appetitus enim se movet ad aliquid præcognitum. Unde idem esse oportet subjectum quod cognoscit et quod appetit. Porrò, vel duplici tantum parte in subjecto quod appetit suppositâ, in aliâ parte cognitio, in aliâ autem appetitio habebitur, ac proinde prima pars haud poterit appetere, quia cognoscit duntaxat et appetitu destituitur, et secunda haud poterit appetere, quia cognitione caret, nec prænoscit quid sit appetendum.

Porrò non tantum hæc probant animam simplicem esse quoad *quantitatem*, verum etiam quoad *essentiam*; scilicet ejus essentiam non componi ex pluribus elementis etiam simplicibus, sed absolutâ unitate gaudere.

249. PROP. 3^a: *Anima humana est spiritualis.*

Explicatur assertio. Illud dicitur *simplex* quod *partibus non constat*. Attamen quod est *tantum simplex*, ita materiæ colligatum est, ut sine illâ operari aut esse non queat; v. g. anima belluina, licet simplex, ita materiæ immersa est, ut absque illâ nec operetur nec sit. — Contra, *spirituale* est illud quod vel materiæ nullo modo conjungitur, vel, si conjungatur, ab eâ *intrinsecè* non pendet, ita ut sine illâ

operari et esse possit. Priori sensu spirituales dicuntur Angeli, posteriori anima humana (1).

250. *Probatur.* Illud est spirituale quod spirituales exerit operationes; quoniam ex operationibus dignoscitur rei natura. Porrò anima humana spirituales operationes exerit. Ergo est spiritualis.

Prob. minor. Anima humana intelligit et vult; sed intelligere et velle sunt spirituales operationes. Hoc autem, quia in 1^a Anthropologiæ parte (n. 84 et 137) non latenter expressimus, impræsentiarum paucis concludemus.

1^o *Ex cognitione omnium corporum.* — Intellectus intelligit formas *omnium* corporalium rerum. Ergo spiritualis est. — *Probatur consequens*, quia quodvis organum ex *naturâ* suâ habet ut ad *unum* coarctetur, cum ipsi insit vis determinata, ad aliquid particulare limitata. « Qui potest plura cognoscere, » clarè ait D. Thomas, « oportet ut nihil eorum « habeat in suâ naturâ; quia illud quod inesset ei naturaliter, « impediret cognitionem aliorum. Sicut videmus quòd lingua « infirmi, quæ infecta est cholericò et amaro humore, non « potest percipere aliquid dulce, sed omnia videntur ei « amara...; similiter *impossibile* est quòd (intellectus) intel- « ligat per organum corporeum, quia natura determinata « illius organi corporei prohiberet cognitionem omnium cor- « porum. Ipsum igitur intellectuale principium habet opera- « tionem per se, cui non communicat corpus. » (1^a, q. 75, a. 2, c).

2^o *Ex cognitione rerum incorporearum.* Intellectus ea intelligit quæ nec spatio circumscribuntur, nec mensurantur tempore, nec organis excipi possunt, nec ullam in organa impressionem queunt exercere; ergo nullo utitur organo. — *Probatur antecedens*, quia cognoscit res ex se immateriales,

(1) Recentes philosophi non pauci, cum post Cartesium spiritualitatem animæ a simplicitate haud secernerent, ad absurda ducti sunt, scilicet ut vel negarent animam belluinam simplicem esse, ne cum animâ hominis confunderetur; vel solam animæ humanæ simplicitatem vindicarent, ita ut hæc nonnisi gradu differat ab animâ belluinâ, intrinsecus a materiâ pendeat, nec esse possit separata semel a materiâ post mortem.

v. g. Deum, virtutem (1), universalia principia. — Probatur *consequens*, quia oportet esse proportionem inter objectum potentiaë et ipsam potentiam; nulla enim potentia valet attingere objectum, supra conditionem suam positum.

3° *Ex sermonis interpretatione*. Quòd si perceptio a potentia organica fieri dicatur, eadem vox eundem sensum in auditore excitabit, diversæ autem diversum. Porrò aliter se rem habere perspicuum est. Si enim mihi cum Litteris sacris de Alexandro dicas quòd, triumphato terrarum orbe, « *decidit in lectum, et cognovit quia moreretur,* » stupor me et incredibilis admiratio statim occupat; sin eadem de alio dicas homine, eadem vox hunc sensum in me non movet. — Vicissim, diversæ istæ voces *Θεος, Deus, Dieu*, similem omnino in animo ideam provocant. Oportet igitur animam non pendere ab organo quod solo syllabarum sono perstringatur, sed spiritualem quamdam vim, quæ sermonis *interpretetur* significationem (2).

Confirmatur, quia sermo plenus est ideis *abstractis et generalibus*, quæ omnino superant capacitatem substantiæ organicaë, cum varia quæcumque sint organa, ad unum, et hoc quidem concretum, determinantur.

4° *Ex naturâ voluntatis*. Illud enim in eâ prorsus est singulare, quòd non tantum non pendet ab organis, sed illis *præest et dominatur*, membraque corporis movet pro libitu, in passiones ipsas certam jurisdictionem obtinet, et cæteras omnes animæ potentias, variâ licet ratione, suo imperio nunc coercet, nunc ad finem sibi præfixum dirigit.

Confirmatur, quia in parvo, imò in debili necnon infirmo

(1) Ad rem S. Augustinus: « Illa quæ nullam gerunt similitudinem corporum, caritas, gaudium, longanimitas, pax... nulla locorum spatia tenent... aut aliqua oculi cordis, quòd radia sua mittant, intervalla conquirunt. Nonne omnia sunt in uno sine angustia, et suis terminis nota sunt sine circuitu regionum? Aut dic in quo loco videas charitatem, quæ tamen in tantum tibi cognita est, in quantum eam potes mentis acie contueri, quæ nec quum tibi intus loquitur ut secundum eam vas, ullis perstreptit sonis... nec cum tibi venerit in mentem, sentis ejus incessum. » (*De videndo Deo, ad Paul.*, c. XVII, n. 43).

(2) Cf. *L'Idée du Beau*, p. 166, 167.

corpore præstantia illa voluntatis non rarò elucet, ut pateat corporis quod animat dominum esse animum.

5° *Ex refutatione indirectâ materialismi*; tum quia is improbatus est a philosophis omnis ævi plerisque iisdemque maximis, necnon a consentiente diversorum populorum fide, quæ quidem consensus in re tanti momenti et passionibus adversa, pro criterio veritatis habenda est; tum quia pessima trahit consecutaria. Nam in scientiis et artibus *relativissimum* passim inducit, evertit Dei notionem et existentiam, bonum in delectabili vel in utili reponit, ac demum hominis libertatem atque animæ immortalitatem pessumdat (supra n. 183).

251. *Corollarium*. — Ex dictis sequitur inanem esse Lockii *dubitationem* circa spiritualitatem animi. Nam licet neque Dei metiri potentiam, neque materiæ proprietates omnes exploratas habere possimus, *scimus* tamen potentiam Dei se non extendere ad faciendâ quæ secum pugnant. Porrò faceret pugnantia secum, si materiæ vim cogitandi attribueret. Nam attributa materiæ et cogitationis secum pugnant, cum materia sit essentialiter composita, prædita figurâ, tempore et loco circumscripta, cogitatio verò sit *essentialiter* simplex et indivisibilis, et sine organo exerceatur.

252. PROP. 4^a: *Anima humana est verè substantia, quamvis incompleta, naturaliterque unita corpori* (1).

PROB. 1^a PARS contra Lockium et sensistas omnes.

Substantia dicitur *ens in se ipso subsistens, non autem inherens in alio, tanquam in subjecto*; et habetur tanquam *substratum* quoddam immobile, sibi *identicum*, sub variis mobilibusque accidentibus. Porrò has duas dotes habet anima humana. 1° *Subsistit in seipsâ*; nam illud habet *esse* proprium, in seipso existens, quod habet operationes proprias quas per seipsum exercet. Porrò talis est anima humana quæ, ex probatis, per seipsam intelligit et vult, sine organorum auxilio.

— 2° *Remanet essentialiter identica*; nam quisque sentit se unum eundemque esse qui annis præteritis erat et qui nunc

(1) Cf. *Le Kantisme et le Positivisme*, c. 2, *Le Moi*.

est, quoscumque interea eventus expertus fuerit. Sentit etiam varias in seipso succedere sensationes, cogitationes ac volitiones; at sicut eas sibi attribuit, ita seipsum ab illis sponte distinguit.

PROB. 2^a PARS, nempe animam esse substantiam incompletam, contra Platonem, Cartesium aliosque.

Substantia completa omnes operationes suas exercet, quin alteri uniatur, dum substantia incompleta ea est quæ, licet quasdam operationes per seipsam exercent, non tamen omnes eas exercet quas nata est exercere, nisi uniatur alteri. Porro anima humana in hoc secundo substantiarum genere collocanda est; quanquam enim per seipsam intelligit et vult, nihilominus per seipsam exercere nequit operationes vitæ vegetativæ et sensitivæ, quæ tamen humanæ sunt; sed eas non exercet, nisi unita corpori. — Itaque anima humana non est forma separata, ut Angeli, sed forma substantialis corporis; ac proinde, docente S. Thomâ, « quum sit pars humanæ naturæ, non habet perfectionem nisi in unione ad corpus ». (Qq. dispp., q. una de Anima, a. 2, ad 5).

253. PROP. 5^a : *Essentia animæ nec in cogitatione, nec in facultate cogitandi consistit.*

PROB. 1^a PARS contra Cartesium et quosdam recentes.

Nam 1^o cogitatio est actio, et actio quidem mobilis ac diversa; et ideo idem esse nequit ac essentia animæ una et immutabilis; — 2^o cogitatio præsupponit animam et ejus essentiam, ut omnis effectus causam suam præsupponit; cogitatio quippe ab animâ generatur, nedum eam constituat.

PROB. 2^a PARS contra de Biran aliosque recentes.

Enimvero essentia rei debet explicare illius genus et differentiam specificam, et esse principium omnium ejus proprietatum. Atqui vis cogitandi non explicat genus et differentiam specificam animæ humanæ; siquidem neque dicit id quo anima humana conveniat cum animâ belluinâ cæterisque formis inferioribus, neque id quo differat a formis superioribus, videlicet Angelis. — Nec potest esse principium omnium proprietatum animæ. Nam ex quinque potentiis quæ animæ humanæ conveniunt, nempe vegetativa, sensitiva,

intellectiva, appetitiva et motrix, sola intellectiva ad cogitationem refertur, reliquæ ab eâ minimè dimanant.

254. PROP. 6^a : *Declaratur definitio animæ humanæ et ipsius hominis.*

Ex diversis propositionibus jam probatis sequitur falsitas materialismi ac spiritualismi nimii, quæcumque tandem horum systematum sit forma. Sequitur etiam definitio animæ humanæ et ipsius hominis.

Anima porro definiri potest : *substantia simplex, spiritualis ac per se subsistens, licet incompleta et naturaliter ac substantialiter unita corpori, cujus est forma.*

Ea enim valet definitio quæ rei alicujus essentiam, nempe genus proximum ac differentiam specificam declarat. Atqui talis est nostra definitio, quæ et varias animæ relationes declarat cum superioribus, et cum inferioribus formis. Nam his vocibus : *anima est substantia simplex, spiritualis ac per se subsistens*, indicatur quid commune habeat cum Angelis, et quid ab animâ belluinâ diversum; iis autem : *licet incompleta et naturaliter ac substantialiter unita corpori cujus est forma*, significatur quomodo cum animâ belluinâ cæterisque formis inferioribus conveniat, et differat ab Angelis.

255. Corollarium 1^{um}. — Ex dictis circa naturam animæ humanæ, inferre est ipsam, *quatenus intellectivam*, specie differre a mente angelicâ et *quatenus sensitivam*, ab animâ belluinâ.

Probatur 1^{um}, quia intellectus humanus naturaliter est forma corporis; undè non propriè speciem constituit, sed est tantum pars speciei seu naturæ humanæ. Contrà, intellectus angelicus, quum sit forma separata, induit rationem substantiæ completæ et speciem integrè constituit.

Probatur 2^{um}, quia ut argumentatur Doctor Angelicus, « etsi anima sensitiva in homine et in bruto conveniant secundum generis rationem, differunt tamen specie, sicut ea quorum sunt formæ. Sicut enim animal quod est homo, ab aliis animalibus differt per hoc quòd est rationale, ita anima sensitiva hominis ab animâ sensitivâ bruti specie

« differt per hoc quòd est etiam intellectiva. » (*Cont. Gent.*, l. II, c. 83).

256. *Corollarium 2^{um}*. Definitio hominis non sincera datur a Platone : *spiritus alligatus corpori*, et a Cartesio quem sequitur de Bonald : *spiritus utens corpore*, vel *intelligentia cui famulantur organa*. Nam istæ definitiones essentiam hominis in animâ reponunt, et inducunt unionem merè accidentalem inter animam et corpus.

Ut verò constat ex probatis, homo definiri merito potest *animal rationale*, vel *substantia ex corpore ceu materiâ, ex animâ rationali, ceu formâ, constituta*. Istæ definitiones essentiam compositam hominis clarè declarant, et animæ atque corpori debitum locum attribuunt.

257. PROP. 7^a : *Natura humana constituit speciem distinctam, cujus æquè participes sunt omnes homines.*

Prob. 1^a pars contra materialistas ac sensistas qui animal et hominem in eadem specie collocant, nisi quod habent hominem ut animal perfectioris seu politioris conditionis. At verò, in cosmologiâ, probabitur animalibus non inesse nisi animam sensitivam; anima porrò sensitiva, ut supra ostendimus, particulare seu concretum duntaxat apprehendit; unde naturâ determinatur ad unum, ideoque libertate destituitur. Homini autem inest immaterialis intellectus, quo universales et abstractas notiones acquirit. Ex quâ specificâ notâ aliæ derivantur quæ essentialem inter hominem et animalia differentiam confirmant : scilicet quòd homo sermone articulato utatur, societatem constituat, capax sit progressûs, libertate ac moralitate decoretur, assurgat ad notionem infiniti et cum Deo religione conjungatur.

Prob. 2^a pars, in quâ vindicatur *unitas* speciei humanæ contra *polygenistas* qui plures admittunt species humanas, quas quidem aliter alii dividunt, et alias ut superiores, alias autem ut inferiores habent. At perperam; quippe quòd omnes homines, ne illis quidem exceptis qui inter inferiores deputantur, communes possident notas cum *physiologicis*, tum *psychologicis* quæ humanæ speciei propriæ sunt. Nam quod spectat ad corpus, eadem omnes materiâ, eadem etiam

substantialiter figurâ aut formâ, iisdem functionibus utuntur; et ideo diversæ quotquot sint hominum varietates, inter se *fecundæ* sunt, quod a physiologis præcipuum habetur unitatis speciei argumentum.

Idem quoque constat de notis quæ ad animam pertinent. Nam apud omnes omnino homines, etiam rudes, varias dotes reperias quæ intellectum ac voluntatem, ac proinde speciem humanam declarant : nimirum ideas abstractas et universales, locutionem, facultatem conficiendi instrumenta, naturam subjiciendi, progressûs capacitatem, libertatem necnon moralitatem, societatem aliquam politicam, fidem in Supremum Numen et professionem religionis.

Nec *objectioni* sunt differentiæ quas polygenistæ inter varios homines multiplicant. Nam istæ generant quidem *varietates*, non autem *species*, quippe quæ nihil substantiale præseferunt nec afferunt nisi accidentales proprietates; hujusmodi sunt v. g. quæ referuntur ad gradum intellectûs, ad conformationem capitis vel oris, ad capillos aut colorem; has enim mobiles qualitates physiologi doctiores habent ut *adventitias* et prorsus impares ad speciem constituendam.

ARTICULUS III

Materialistarum objectiones exsolvantur (1).

Materialistarum objectiones duplici ex parte sumuntur, scilicet ex proprietatibus materiæ, et ex intimis relationibus quæ vigent inter animam et corpus.

258. *Obj.* 1^o esse in materiâ proprietates simplices, v. g. gravitatem, affinitatem, vim motricem; 2^o vim cogitandi ex *collectione* diversarum partium corporis, sin ex iis *singulis*, exurgere posse, sicut stomachus vi digerendi fruitur, licèt eâ destituantur singulæ ipsius partes; 3^o varias naturæ vires, juxta scientiæ recentis decreta, in invicem *converti*; quâ ex conversione oriri posse ipsam vim cogitationis.

(1) Cf. *La Tête et le Cœur*, 2^e part., c. 1, a. 3, § 1 et 2; *La Vie et l'Hérédité*, p. 209-213.

R. Dist. 1^{am} part. anteced., neg. conseq.

Nam 1 *gravitas, affinitas, vis motrix* aliæque id genus proprietates, etsi *ex se* simplices, tamen insunt materiæ, et *per* eam exercentur, et quæ tales, capaces sunt augmenti ac divisionis; gravitas quippe pro massâ dividitur, et vis motrix mensuratur pro materiæ quantitate. Contrâ, phænomena intellectûs ac voluntatis non sunt simplicia tantum, sed etiam *spiritualia*; quare nec pro materiæ quantitate mensurantur, nec ab eâ intrinsecè pendent.

2 Ad rem non facit exemplum ex *stomacho* desumptum, quia *singulæ* stomachi partes producunt *partem* effectûs communis, qui proinde naturaliter resultat ex communi singularum partium concursu. At contrâ variæ partes materiæ, sigillatim sumptæ, nullam prorsus, ne minimam quidem cogitationis aut volitionis partem efficere queunt, quia hæ sunt quid spirituale, istæ autem quid materiale. Quamobrem diversarum partium collectio nihil addit singulis, quia ubi deficient causæ *partiales*, deficit etiam effectus *communis*.

3 Quòd attinet ad *conversionem* naturæ virium, factis ipsis constat vires materiæ inorganicæ in vitales, vitales autem in sensitivas, eas demum in intellectuales minimè converti (1). Cogitatio verò ab omnibus naturæ phænomenis toto cælo distat. Nam omnia naturæ phænomena *per motum* constat absolvi. Porrò apertè pugnant motûs leges cum legibus cogitationis. Motus quippe afficit rem extensam, divisibilem, figurâ præditam, spatio circumscriptam; cogitatio verò exhibit quid simplex, supra spatium positum, nullâ figurâ præditum. — Motus *lineis* rectis circumscribitur, vel flectitur in circulum, aut ducitur in spiram; impetum acceptum et datam inclinationem *absolutè* sequitur. Cogitatio econtra est perquam mobilis, infinitè varia, mirum in modum spontanea, libera, et incredibili impetu volat. — Cogitatio demum clara est vel obscura, vera aut falsa; quas notas ad motum attribuere nemo sanus ausit.

(1) Cf. *La Vie et l'Hérédité*, 1^{re} part., ubi *factis* et *ratione* probamus istam conversionem nec existere, nec possibilem esse, et quatuor dari naturæ *regna* omnino diversa.

259. *Obj.* 2^o Anima recipitur in corpore, et ejus, maximè autem cerebri, vices omnes sequitur, ita ut perturbetur inter agendum, eo læso, et cum eo crescere aut senescere videatur; præterea pendet a conditione locorum aliarumque circumstantiarum in quibus homo versatur; ac demum intellectus intelligere nequit quin utatur imaginibus phantasiâ sibi exhibitis.

Porrò hæc satis probant animam ita corpori esse alligatam, ut ab eo separari nequeat.

R. *Neg. min.* et ad varium objectionis caput respondeo.

1. Anima quidem in corpore recipitur, ut perfectum in perfectibili, ut forma in materiâ, non autem a corpore *continetur*, aut *circumscribitur*, quod potius ipsa *continet*, cum illud virtute suâ undequaque amplectatur. Quanquam ergo illi partim proportionatur, tamen illud reipsa transcendit. — Ad rem D. Thomas: « Cùm dicitur unumquodque esse in alio « secundum modum ejus in quo est, intelligitur quantum ad « *capacitatis* ipsius modum, non quantum ad *naturam* ejus. « Non enim oportet ut id quod est in aliquo, habeat naturam « et proprietatem ejus in quo est, sed quòd recipiatur in eo « secundum capacitatem ipsius. Manifestum est enim quòd « aqua non habet naturam amphoræ; unde nec oportet quòd « anima habeat ipsam naturam corporis. » (*Qq. disp.*, q. una *De anim.*, a. 10, ad 14).

2. Quòd attinet ad *mutuas vicissitudines* animæ et corporis, falso asseritur animam cum corpore augeri aut minui. Corpus enim augetur secundum *quantitatis molem*, anima verò secundum *perfectionem virtutis*; unde corpus crescendo fit *majus*, anima autem *melior*. « Quod si membrorum id faceret magnitudo, eò quisque prudentior esset, quò longior aut validior; quod se aliter habere, non, opinor, negabis. » (S. August., *De quantit. animæ*, c. XVI, n. 88).

Equidem animæ vires augentur vel minuuntur cum corpore; at non *per se* quidem, sed *per accidens* tantum, quatenus perficiuntur vel contra debilitantur organa sensuum, præsertim imaginationis et memoriæ, sine quibus anima, corpori conjuncta, sese nequit exercere. « *Anima*, dicit

« D. Thomas cum Aristotele, *non debilitatur ex senectute*, quia
 « si senex accipiat oculum juvenis, videbit ut juvenis. Quare
 « senectus debilitat, non quidem quòd ipsa anima patiat,
 « seu virtus sensitiva, sed *id* in quo est. Sicut in ægritudi-
 « nibus et in ebrietatibus, non debilitatur seu alteratur anima,
 « sed corpus. » (In I *De anima*, lect. xi). « Si enim, ipsi vir-
 « tuti *per se* accideret aliqua debilitas, nunquam restaurare-
 « tur, organo reparato. Videmus autem quòd quantumcum-
 « que visiva vis videatur debilitata, si organum reparatur,
 « vis visiva restauratur. » (*Cont. Gent.*, l. II, c. 79).

Imo quandoque intellectui robur non tantum non demitur, verum etiam accrescit senectute; unde videre est quosdam senes, quanquam fesso jamdudum corpore, integro tamen ingenii acumine frui. Atqui vel ex eo solo constat intellectum a corpore non pendere intrinsecus; siquidem non servatur proportio inter utriusque vicissitudines.

3. Quod spectat ad *cerebrum*, nil mirum quòd ejus conditiones anima sæpius sequi videatur, cum, ex unâ parte, ab eo *tota* sensibilitatis physicæ, sive *externæ*, sive *internæ*, pendeat indoles; et, aliâ ex parte, anima humana, his in terris, sensibilitatis conditioni solet sese contemperare. — Cæterum, ipsi periti fatentur physiologiam cerebri, philosophicè inspectam, adhuc infantia umbris obtegi et sub controversiâ esse. — Imò verò probatum fuit varias cerebri dispositiones, v. g. *molem*, *pondus* aut certas *protuberationes*, ex quibus recentes materialistæ vim cogitationis metiebantur, in eam aut minimè, aut parum influere.

4. Anima quidem aliquo modo pendet a conditione locorum aliarumque conditionum in quibus homo vitam agere solet; non tamen quòd materiales conditiones in intellectum ac voluntatem *per se* agant, sed quòd directè agant in sensus externos, in imaginationem, imò et in passiones, sicque indirectè et per accidens in mentem ipsam influunt.

Præterea influxus iste a sensualistis, inter quos Taine, vehementer fuit exaggeratus; non enim, ut isti placuit, conditio locorum, temporum et progeniei, varietatem ingeniorum aut fortunam artium, litterarum, philosophiæ sola explicat; si-

quidem in iisdem locis ac temporibus diversa sæpe florent ingenia et systemata, et contra, in diversis locorum ac temporum adjunctis, similia ingenia necnon systemata reperias.

§. Nec te demum moveat quòd intellectus humanus in præ-senti conditione rerum, intelligere haud possit quin se convertat ad phantasmata, sicque pendeat a corpore. Nam 1. hæc necessitas intellectui non incumbit, nisi ob actualem illius conjunctionem cum corpore; 2. ut monet D. Thomas, intellectus non eget phantasmate *ratione sui*, ut eo tanquam organo utatur, sed tantum *ratione objecti*, quia proportionatum illius objectum est rerum materialium natura; unde « phantasma comparatur ad intellectum, sicut color ad visum » (1^a, q. 75, a. 2, ad 3); quæ quidem dependentia est merè *extrinseca* facultati.

CAPUT II

DE ANIMÆ HUMANÆ ORIGINE

Quærendum est 1^o undenam oriatur anima, et 2^o quo tempore corpori suo copuletur?

ARTICULUS I

Natura originis animæ humanæ declaratur.

Præstat 1^o referre varias philosophorum sententias; 2^o falsas refellere; 3^o veram propugnare.

§ I. — Recensentur variæ philosophorum opiniones circa modum quo anima nostra in lucem prodeat.

260. 1^o Quum ratio originis animæ ex ipsius naturâ pendeat, philosophi diversè illam explicuerunt, prout diversè explicuerant animæ naturam. Alii porrò, eam aliquid divinum